IOSEPHI MARIÆ SVARESII EPISCOPI VASIONENSIS DIATRIBA

De foraminibus Lapidum in priscis ædificiis.

Illustrissimo Excellentissimo Principi, Carolo Barberino, Duci Ereti, Principi Prænestæ, almæ Urbis Præfecto,

Iosephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis Felicit.

Illustrissime, & Excellentissime Princeps.

IDistinet me procul ab Vrbe, atque assiduum hîc degere compellit Munus sacrum, quo iampridem suscepto ritè perfungi vehementius in dies exopto: non possum tamen, quin animo subinde recurram ad Vrbem; dumque permulcet mentem eò conuolantem iucundissima recordatio felicis illius æui, quo mea tam alacriter impendebam obsequia Vrbano VIII. sanctissimæ memoriæ Pontifici Maximo, Excellentiæ Vestræ Patruo magno, & Eminentissimo Cardinali Barberino S.R.E. Vice-Cancellario, Excellentiæ quoque Vestræ Patruo; ac exundantes omnigenæ doctrinæ latices hisce vberrimis è fontibus hauriebam; Antiqua verò Vrbis monumenta quà sacra, quà profana eruere, lustrare, penitúsque pernoscere tantorum, tamque doctorum Principum beneficio mihi potissimum licebat; Memini Quæstionem haud iniucundam exortam tunc esse; in eaque desudasse ingenia eruditorum. Inquiri namque frequen-

tissimè solebat ab his, qui spectabant in Vrbe non sine stupore Amphiteatri Titi, vel alterius vetusti ædificij superstites moles, cur ingentes Tiburtini lapides, & immania saxa, è quibus illæ constructæ fuêre, quadrata licet affabrè, dolatáque, ac expolita, singula tamen extimâ in facie præsertim, variis, & crebris foraminibus interpuncta viserentur.

S. Matthai c. 27. Phlegon. Ioseph. Euseb. in Chronic.

Et imperitum quidem vulgus petras hasce scissas eo ex terræ-motu, quo concussa tellus tremuit vniuersa, Christo Domino nostro animam efflante; fabulatur. Id autem commentum planè ridiculum est. Nam ferè omnia illa opera necdum ædificata erant, imò plerique illorum lapidum necdum excisi, nec eruti è lapidicinis, cùm ille contigit terræmotus: insuper istis in saxis non sunt scissuræ, siue fissuræ, nec hiatus vi naturæ adaperti patent, sed manu & arte sunt facta foramina.

de bell. Gotth. p. 288.

p. 199.

lib. 16. Histor. misc. c. 19.

Qui eruditiores haberi volunt, foramina illa Gotthis Vrbem diruere, atque subuertere, Romanique Nominis prisca monumenta exscindere, ac delere tentātibus, & quasi coniuratis adscribunt. Sed vt concedamus Totilam Gotthorum Regem, excidium istud fuisse meditarum, Vrbémque constituere μηλόβοτον cogitasse, auctore Procopio: Id profectò non confecit Totila, quin superfuisse non ædificia tantum, verùm statuas ipsas integras in Hadriani sepulchro vel inde constat, quia Belisarij milites, qui in præsidio ibi collocati erant, eas confregerunt, & illarum fragmentis in Vitigem, & Gothos coniectis, ipsos fortiter repulerunt; imò Totila ipse non tantùm per epistolam à Belisario dissuasus cogitationem illam deposuit; sed cùm Vrbem deinde recepisset, illam incoli rursus iussit, in eâque certamen equestre, seu ludos Circenses edi, quos & spectauit; vtque scribit Paulus Diaconus Aquileiensis, habitauit aliquantùm cum Romanis quasi pater cum filiis: Theodericus verò, atque Theodahadus Reges Gotthorum, ornatum Vrbis, & ædificia procurasse videntur, éque variis

variis epistolis apud Cassiodorum id colligitur.

Non desunt, qui pro defigendis, inserendisq; tignis, vt admotæ innixæque illis substructiones ædium inædificatarum suffulcirentur, & obtegerentur, quasi columbaria, siue tignorum cubilia, effossa fuisse hisce in lapidibus foramina existimant: Theodericus de horreis destructis concessis Paulino, vt inædificaret, agit in epistola ad Argolicum Vrbis Præfectum, in alia de Turre Circi, & loco Amphitheatri à Volusiano possessis, & restituendis Martiano atque Maximo eius filiis.

Vitruu. lib. 4. c. 2. de Archi-tect. ibique Philander

lib. 3. ep. 29

Pro repagulis etiam obfirmandis in tumultibus, bellisque ciuicis, quæ repagula sequiori æuo pagineumata dicta liquet ex inscriptione, quæ legitur Romæ in Sancti Iacobi ad Longaram, quam, vti est, appingo. *Hanc turrem & pagineuma facta à militia Capracorum Tempore Dom. Leonis Quarti P P. Ego Agatho C.* Ea munimenta vocata fuerunt ante C C C. plus minus annos *Subarra* & *Bastia*, à Gallis autem *Bailles* prætendique consueuerunt ad arcendos hostes, & arietes, aliásque machinas depellendas, velut antemuralia, quæ L X X. vertunt προτειχίσματα, nominant alij Loricas, Hispani *Barbacanes*, præmuralia Isidorus, antemurana Valla, Ammianus loricas, parapettos, quasi pectoralia, στηθάρια quia obtegunt pectus Lipsius exponit. Cùm Henricus VII. Imperator Romam venisset, subarras in domibus Nobilium positas Mussatus prodit. Hannibaldenses quoque Romani proceres sese munierũt in Coliseo, seu Colosseo, in eóque habitarunt, quemadmodũ antea *Frangipanes*, quorũ fortia commemorat auctor vitæ Gelasij secundi. Colosseum autem Amphitheatrum Titi, ætate illa nuncupabatur, de quo facetum Bedæ vaticinium exstat: *Quamdiu stabit Colyseus, stabit & Roma: quando cadet Colyseus cadet & Roma, quando cadet Roma, cadet & mundus.* Sic in Gallia Narbonensi Gotthi Nemausensi Amphitheatro insederunt, & præsidium Arenarum vocitarunt; vti narrat Rodericus Toletanus apud Lipsium. Innocent.

lib. 4. ep. 42

Sanctius ad c. 2. Thr. Ierem. & c. 26. Isai.

li. 2. Poliorcet. dialog. 2. & lib. 3. Dialog. 5.

Hist. f. 44. p. 8.

In Excerptis seu Collectaneis Bedæ.

lib. 3. c. 7. de bell.

Hispan. li. 2. c. 5. de Amphith. Auctor vitæ Innoc. III. p. 147. & 149. Donat. Antiq. Rom. p. 224. & 352. lib. 3. c. 7.

III. Pontifice sedente, cùm Romani ciues acriùs inter se discordibus animis, armisque certarent, propugnaculis instruxerunt Thermas, & Formas, siue Aquæductus; atque Arcus Triumphales, ipsumque Pantheon, nominatum ideo Sanctam Mariam in Turribus, Cadalous Antipapa communiit, vt omittam Belisarij milites, tum Gotthos, dein Exarchos, Crescentium, & Senatores, ipsosque Pontifices rerum Dominos, qui Hadriani Mausoleo arcem superstruxerunt, quæ inter cœlos, vsque ad nubes, hodiéque Sancti Angeli indigitatur. Imò foramina illa sunt qui putent facta pro pergulis, & pegmatis erigendis, & sustentandis in nundinis, publicisque conuentibus; quam in sententiam iuit Donatus, vbi namque describit Amphitheatrum Titi, hæc attexit: *Inferiores pilæ, & arcus extimâ facie crebris foraminibus deformati sunt, id docti, indoctique referunt ad feritatem Barbarorum, qui capta in vrbe, quod delere non potuerunt, vi, ferróque mutilatum fœdarunt. E quidem probabilius semper duxi, idque de Bernardino Stephonio nato illo quidem ad eximiam Poësin, sed vnà summa eruditionis, & eloquentiæ viro audiui, hoc peractum operâ artificum & institorum, illi enim cùm ibi nundinas agere, venumque mercimonia exponere consueßent, adactis solo furculis ex aduerso perruptos Amphitheatri lapides fodiebant, vt perticas immitterent sustinendis tabernarum, merciumque tegminibus, & cadurcis. Eam quippe vrbis partem vicis, splendidisque tectis spectabilem ciues cum Romano Pontifice in Lateranis ædibus degente incolebant, donec Robertus Guiscardus vt Gregorium Septimum in Hadriani mole conclusum ab obsidione Henrici Tertij liberaret, ex consilio Cincij Romanorum consulis ignem vrbi iniecit, vt ex Leone Ostiensi refert Cardinalis Baronius, & maiorem vrbis partem, præsertim Cœlium inter, & Capitolium sitam euertit anno salutis MLXXXIV. Quare superfuerunt hæc potius signa nundinantis industriæ, quam Barbariæ sæuientis. Cencius Sacræ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, qui floruit anno millesimo centesimo nonagesimo secundo inter varios opi-*

fices recenset Bandonarios Colossei, ibi scilicet exercentes opificium, quos nunc Banderarios vocant, & serica vela consuentes. Fauit Religiosus vir popularibus suis, quos perstrinxit Ciaconius Hispanus, qui aliam in sententiam abiens ita differit: *Nec est cur patiamur Gregorium Magnum hac in re à quibusdam litterarum ignaris potissimum carpi, quod de suo mandato veterum ædificia sint diruta, ne peregrini, & aduenæ (vt ipsi fingunt) ad vrbem Religionis caussâ venientes posthabitis locis Sacris Arcus Triumphales, & monumenta veterum cum admiratione inspicerent. Absit hæc calumnia à tanto Pontifice Romano, cui certè post Deum patria quàm vita carior fuit. Multa profectò ex antiquis ædificiis exedit vetustas, multa præterea demoliuntur homines ædificandi gratia, vt quotidiè videmus in Amphitheatro, & Septizonio, impacta illa foramina, quæ tum in concauo fornicum, tum in coniuncturis marmorum, quadratorumque lapidum exstant, non minus à Romanis quàm à Barbaris euellendi æris caussa creduntur: In fornicibus enim quo leuior esset moles, ollas cum numismatis collocabant, lapides verò quadratos æneis clauis firmabant; factum id à Romanis dixerim, si Epirotæ, Dalmatæ, Pannonij, & fæx totius orbis terrarum huc missa Romani appellari possunt.* Hactenus Ciaconius, qui mox agit de statuis disiectis, & capite carentibus. Comprobant hanc sententiam Dio Cassius docens veteris Bizantij muros fuisse firmissimos, quorum frons exterior grandibus lapidibus constructa, qui quatuor passus crassi lato ære inter se vincti erant. Xiphilinus Dionis Epitomastes ita exprimit: καὶ τὰ τείχη καρτερώτατα εἶχον, ὅτε γὰρ θώραξ αὐτῶν λίθοις τετραπέδοις πάχεσι συνῳκοδόμητο πελάξι χαλκαῖς συνδουμένοις; Iosephus, & Hegesippus, qui tradunt pleraque murorum Hierosolymitanorum ferro, aut ære operta fuisse: Thucydides narrans Athenis muros in Piræeo exstructos Themistoclis Archontis iussu, coagmentatos magnis lapidibus, qui secti, quadratique erant, eorumque exteriora ferro, & plumbo reuincta: hæc sunt Græca verba:

In vita sancti Gregorij P.P. I. ad annum 596. pag. 189. Edit. recent.

in Seuer.

P. 401.

*lib.5.c.*11.

*lib.1.p.*19.

lib. 3. polit. c. 5. ad Honorium Præfectum lib. 10. Epl. 30.

ξυνῳκοδομημένοι μεγάλοι λίθοι, καὶ ἐν τομῇ ἐγγωνίοι σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν, καὶ μολύβδῳ δεδεμένοι. Hos omnes laudat Lipsius. Ænea simulacra Elephantum in via sacra præ vetustate dissilientia sarciri mandat Theodahadus Rex Gotthorum, vncis ferreis hiantia membra solidando apud Cassiodorum. Lapides, quibus antiquæ viæ stratæ silicibus coërcebantur, hinc inde, vmbones dicti, ferreis nexibus, atque clauis colligati coniungebantur, quos Gomphos Græcâ voce appellabant, vti Bergerius elicit ex hisce versibus Statij de via Domitia:

lib. 2. de Viis Imper. Rom. c. 7.

Tunc vmbonibus hinc, & hinc coactis;
Et crebris iter alligare Gomphis

in Euseb. p. 208. ἐν λόγῳ ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, p. 23.

De Gomphis, id est, clauis ferreis, quibus statuarum membra commissa, fusè disserit Iosephus Scaliger; at Libanius asserit in templorum profanorum destructione: οὕτως οὐκ ἦν ῥάδιον ἀλλήλων διεζεῦξαι τοὺς λίθους δεσμοῖς ἰσχυροτάτοις εἰσενηνεγμένους. i. *Adeò operosum fuit lapides ab inuicem diuellere vinculis validissimis constrictos.* Vrbs seu κάστρον Aspalathi, quod à Diocletiano constructum prodit Constantinus Porphyrogeneta, οὔτε ἀπὸ βησάλων ἐστὶ ἐκτισμένον, οὔτε ἀπὸ ἐγχωρίου, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν λίθων τετραπεδίκων ἐχόντων εἰς ἀνὰ ὀργυίαν, πολλάκις καὶ δύο, καὶ τὸ πλάτος ἀνὰ ὀργυίαν μίαν, οἵτινες εἰσὶ συνηρμοσμένοι, καὶ συνδεδεσμένοι εἰς ἀλλήλοις μετὰ σιδήρων ἐν μολίβδῳ ἐγκυλιασμένοι. Id est, *conditum non est è laterculis, nec ex indigenis saxis, sed è lapidibus quadratis altis ad vlnam circiter vnam, sæpius & duas, latis verò ad vnam, qui coaptati sunt, & inuicem cum ferro colligati, inque plumbo inuoluti.* Arx Polæ structa quadrato lapide constat ingenti: Nam X X. millium multi, quasi omnes X. millium librarum æquant pondus: tantæ moles ansis, siue * harpaginibus ferreis connexis plumbo vinciuntur. Iouis delubrum erat Apamæ amplissimum, firmissimáque fuit eius structura; nam lapides omnes erant grandissimi arctè inter se iuncti, & ferro prætereà, & plumbo illigati, (vti Theodoretus scribit) Maxima saxa immensis ferramentis, & plumbo diffuso

cap. 23. de Administr. Imper.

* *Siue* harpagonibus.

De Villa in descript. Pola p. 13.

so ex omni parte compacta, & conglutinata erant è Nicephoro; Lapides ingentes, & inter se constricti, ac ferro, plumbóque coniuncti apud Epiphanium Scholasticum, & Marsilium Columnam Archiepiscopum Salernitanum. Theodericus Gotthorum Rex, Senatui præscribit æris non minimum pondus, & quod facillimum direptioni est, mollissimum plumbum, de ornatu mœnium esse sublatum sibi relatum fuisse, iubetque per Ioannem V.S.j. virum spectabilem, siue Vice Sacra iudicantem inquiri. De inuestigando cultu spoliatorum mœnium iussio anteà fuerat directa Symmacho Præfecto Vrbis, vt ipse testatur. Vncus seuerus apud Horatium, hamus est, & ansa ferrea rerum coagmenta tenaciter, asperéque retinens plumbo addito. Vnde Vitruuius monet, vt ansis ferreis, & plumbo frontes vinctæ sint. Nam ad firmitatem nexus sæpenumerò ferreos vncos plumbo illique facto ad perpetuitatem hæsuros operibus, & fabricis adiiciunt. Euripid. *τήχλον μολύβδον* vocat, vt obseruauit Turnebus.

lib. 5. c. 21. Histor. lib. 9. cap. 34. Hist. Tripart. Hydragiolog. pag. 338. apud Cassiod. lib. 3. epist. 31. li. 10. Ep. 34. vbi Turet. lib. 1. ode 35. lib. 2. c. 8. de Archit. lib. 9. c. 14. Aduersar.

Venit in mentem quibusdam forata fuisse illa saxa, vt illis annuli ferrei insererentur, è quibus vel suspenderentur trochleæ, ac funes ad egerendam humum effossam, pro thesauris exquirendis, quos ibi latere depositos somniarunt: Vel alligarentur equi, feræ, naues, & alia ad cursus, spectacula, venationes naumachias, aliosque vsus, *Ανηφίες* vocitant Græci ferreos annulos, per quos traiiciuntur rudentes, Hesychio teste, priscis sæculis rudiores homines consueuerant in portubus lapides immanes perforare, perque illos transmittebant rudentes, & religabant naues, vnde cùm Vlysses Corcyrâ discessit, nautæ *πεῖσμα ἔλυσαν ἀπὸ τρήτοιο λίθοιο. Nautæ soluerunt oram è perforato lapide*: funis enim nauticus ille vocatur *ora*, ab Ouidio *retinaculum*, & ab Homero alibi *πρυμνήσιον*. Lapidibus quoque tunc anchorarum vice sunt vsi, Argonautæ nempe, qui ad fontem Artacij montis prope Cyzicum reliquerunt il-

Homer. lib. 5. ὀδυσ. vbi Dydimus Metamorph. Apollon.

Rhod.lib.1. Ἀργοναυτ. pag.23. & Scholiast. pag.37. lum lapidem, qui pro anchora illis erat, & alium accepêre: at relictum Mileti coloni Iones, qui à Neleo ducebant originem, Apollinis oraculo moniti in templo Iasoniæ Mineruæ collocatum conseruauerunt: lapis fugitiuus hic fuit appellatus quem è Prytaneo (ita vocatur Cyzici locus, vbi est) sæpè profugum fixêre plumbo, vti Plinius recenset in Historia natur. Arrianus qui æuo vixit Hadriani Augusti, memorat ad fluuij Phasidis læuam in templo Deæ Phasianæ, seu Rheæ in Colchide monstrari anchoram, quam Argonautarum esse ferebant, ferream, sed (vtipse sentit) recentiorem; visa quoque à se fuisse ibidem fragmenta lapideæ anchoræ, quam veram fuisse arbitratur. Erant & annuli portarum ad fores apprehendendas, pulsandasque: horum meminit Ioannes Diaconus, déque illis explicandum autumo Panegyristen, vbi ait ad annulos sedere digredienti hospiti Maximiano solitum Constantinum, seu cedere, idque obsequium maximum reputatur, & vnà cùm eruditissimo Cardinale Baronio censeo Constantinum comitari consueuisse, seu deducere Maximianum, quando apud eum hospes diuerterat, inuisendi, salutandive caussa, deorsum vsque, vbi parati equi annulis ferreis muro innixis alligari sueti manerent, immò ad annulos vsque portarum, ibique sedere Constantinum seu potius cedere, ac honorem præstare, Maximiano discedenti. Vnde in eo Panegyristæ loco, qui vindice dignus est, non legendum puto, *ad annula fæderas*, vt corruptè legebatur, nec vt Critici emendarunt, *sinister sederas* vel *ad mulos sederas* vel *ad annulos hæseras*, siue, vt Acidalius corrigit, *adambulo*. i. antè ambulo *hæseras*, nec vt alius, qui fatetur quidem Apollinem haud extricare adeò difficilem nodum, diuinaréque veram lectionem posse, tamen in omnibus scriptum esse affirmat (*ad annulos sederas*) nec quemadmodum Tristanus excogitat, & probare conatur (cui digredienti Te *ad aram annulo fæderaueras*

lib. 36. cap. 15. in περίπλῳ πόντῳ p. 4.

In vita S. Gregorij M.c.93.li. 4. Panegyr. 4. Constant. pag.210.

Tomo 3. Annal. Eccles. ad annum 307. pag.17.

Tomo 3. Histor.

raueras) Verùm repono (*ad annulos cedebas*) etsi Tomkus *P. 5?? in*
Episcop. Bosnẽsis eruditione non minus quàm dignitate *Cõstātin.*
illustrissimus, aliam olim mihi adscripserit opinionem. *pag. 527.*

Quod si mihi ius esset in Antiquariorum Senatu
ferendi suffragij; conflārem è sex istis sententiis vnam: *In Illyric.*
Nam accidero potuit, vt à proteruioribus Gotthis, *sanctit. p.*
aliisque Barbaris ad labefactandam, & euertẽdam mo- *80. vita*
lem Amphitheatri, & reliqua opera deformanda, & *Constātini.* I.
deturpanda, perrumperentur aliqui lapides: Vtque ef-
foderentur ab his, qui ligna indebant, cùm domos II.
inædificarent ad habitandum: Seu cùm repagula de- III.
figerent, & his sese circumuallarent flagrantibus bel-
lis: Vel cùm ad vsum nundinarum pergulas, & taber-
nacula excitarent; Quin ab illis, qui ferrum, æs, plum- IV.
bum, quibus lapides deuincti erant, diripuerunt, siue V.
Græcis, siue Romanis, siue Gotthis, quos auaritia oc-
cæcauit, quique prædas in vrbe grassando agebant.
Certè Constantinus Magnus Augustus Vrbis orna-
menta plurima in Vrbem à se denominatam transpor-
tari curauit, eámque Romæ spoliis exornauit Theode- *Variar.* 3.
ricus Gotthorum Rex, marmora de domo Pinciana de- *lib.* 10.
posita, Rauennam dirigi præcepit; Constans autem *Epist.*
πωγωνάτης vrbem demum denudasse, atque expilasse
narratur. Prætereà infigendos ad annulos pro thesau-
ris, equis, feris, nauibus perforari potuêre lapides. Adii- VI.
cerem quoque hæc foramina facta in ipsa structura vt
plurimùm, cùm ambitiosæ illæ, admirandæque moles, VII.
exstruerentur, nam quia è saxis, & lapidibus ingenti-
bus constant, illíque versari, & portari ægrè poterant,
terebrari eos necesse fuit, & forari de industria, datâ-
que operâ vt in his ferreorum forcipum, seu forficum
dentes accommodarentur ad ipsos subleuandos, extol-
lendósque, & aptandos, vti docet Vitruuius. Insuper in
imo, & summo Amphitheatro tubi siue fistulæ erant *lib.* 10. *c.*
dispositæ eâ arte, ac fine, vt odoratum quemdam hu- 2. *de Ar-*
morem eiacularentur leuiter, & inspergerent seden- *chitect.*

tes, qui è croco plerumque, è balsamo aliquando, vt Hadriano imperante, imò & è rosis, hinc ille canit:

Ep. 91. & lib. 2. nat. Quæst. lib. 10. lib. 1. & 9.

Saxaque roratis erubuisse rosis.

Id è Seneca, & Apuleio probat Lipsius, adnotans dictos odoratos imbres à Musa apud Senecam patrem, & sparsiones in glossis, & nimbos apud Martialem. Nec à fistulis solum hic imber, sed scito magis inuento è statuis expressus velut humanus quidam sudor; id Lucanus clarè indicat:

Vtque soles pariter totis se effundere signis
Corycij pressura Croci.

Et ex Theatri Marcelli configuratione conspicuum in media, & summa præcinctione, statuas plures fuisse partim ad ornatum, partim ad hunc vsum. Eas autem scire licet concauas, & per immissas fistulas ferreas, siue æneas, iniunctis foraminibus velut per poros, & membra expressum hunc humorem, non sine præsenti quidem auxilio, & manu administrorum. Harum fistularum alias suspicatur fuisse grandes, alias minores, quæ diffusæ per membra erant, nunquam laudatus satis Lipsius, quem sequuntur Iosephus Scaliger, Salmasius, atque Casaubonus. Erant & canales, per quos aquæ refluerent ad naumachias, & vsus Theatri, & ad delicias. Hos tubos, & canales ferramētis, & gomphis coërcere, ac reuincire opus erat, & lapides forare ad inserēda ea ferramenta, quæ conglutinabantur per plumbaturā seu μολύβδωσιν ex Vlpiano, & è Cassio apud Paulū, sicut adplumbabantur etiam statuæ: exemptis igitur quà statuis, quà tubis, fistulis, atque canalibus, & euulsis ferreis siue æneis gomphis, & vinculis, ipsóque plūbo eruto, patuerūt illa foramina, & nudata torserunt animos inspicientium, & exercent adhuc ingenia Criticorum.

lib. de Amphiteat. c. 16. lib. 4. p. 255. in Tibull. in Hist. Aug. f. 30. & 51.

l. 2. D. de sepulc. viol.

ISTAM igitur QVÆSTIONEM retractatam, & reuocatam quasi sub incudem subcisiuis horis, quas perire non sino, fluunt enim mihi parco tempora sumptu, & hoc quidquid est opellæ meæ offero, atque dedico

Notit. Imper. accidēt.